

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo Petri et Pauli

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Interea decebit, ut hinc in tempore gratia, ubi plerumque ex profundis clamamus, Psalm. 130. vers. 1. laudes Dei incipiamus, & ibi in gradu excellentiori plenius illas continuabimus, cum magna

electorum caterva cantantes: Alleluja, salus & laus, & gloria & virtus Domino Deo nostro. Fiat per CHRISTUM JESUM, Amen.

IN DIE FESTO PETRI ET PAULI.

Evangelium Matth. 16. v. 13. -- 19.

EXORDIUM.

FActa est olim in obsessione Samariae tanta fames, ut caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoreis columbarum, quinque argenteis venundaretur, 2. Reg. 6. vers. 25.

Hinc lucefcit, quam dira afflictio fames fit, in qua & viliffima quæque magnæ estimantur, hominesque ad res abominabiles emendas & comedendas adiguntur, sicut hinc Samaritani capita asinina, quæ tamen ipsis in lege interdicta erant, Levit. 11. v. 4. sicut & sterces columbarum edere, & tædiosas has merces pretio comparare coacti sunt.

Quod si verò corporalis fames tanta afflictio est, quantam spiritualem, ubi non fames, panis, neque sitis aquæ, sed audiendi verbum Domini est, Amos 8. v. 11. existimabimus. Utique gravis afflictio, & gravis pœna censenda est, quando Deus cum verbo & Sacramentis Regione emigrat, & Prophetia deficit, Prov. 29. v. 18. & ita homines salutaris animæ cibo privat, ibi enim ad pacem amaritudo amara, Et

38. v. 17. ut in afflictione pereant, Psalm. 119. v. 92. & sicut testudo diffluit, prætereant, Psalm. 58. v. 9. & quia fame hæc pressi, ululant ut canes. & circumeunt civitatem & vagantur ad cibum, si verò non fuerint saturati, murmurant, Psalm. 59. v. 15. 16. doctrina prophanissima, & cultus impiissimus ipsis ad palatum est, anhelant illum, velut famelici cibum, quin & caput asini, hoc est, Pseudo-Prophetas carè coemunt, & comparant sterces columbarum hæreticos multo argento, nec tamen requiem animarum inveniunt, Jerem. 6. v. 16. Soph. 1. v. 18.

Ejusmodi spiritualis fames regnat quoque in idololatræ Papatu, seu spirituali Samaria, ubi sanè salutis animæ cibus, sermo Dei pretiosus est, & visio non manifesta, ut tempore Eli, 1. Sam. 3. v. 1. Contrà verò capita asini & sterces columbarum in deliciis habentur: talia sunt decreta Pontificis, statuta Conciliorum, traditiones humanæ, Monachorum fabulæ &c. quæ quidem nimis carè emenda sunt, siquidem Papistici illi nundina-

PPPP tores

tores vitiosas suas merces pretiosissimè æstimant. Ut inter alia videre est in Pontifice Romano, quem pro visibili Ecclesiæ capite, Christi vicario, & petra in quâ Christus Ecclesiam suam fundaverit, venditant, ejusque decreta, quæ non meliora sunt stercore columbarum, verbo Dei salvifico præferunt, in quo tamen vivitur, & in quo est vita Spiritus nostri, Esa. 38. v. 16.

Quod verò Papa Romanus non petra & fundamentum Ecclesiæ, sed potius capiti asinino comparandus: & doctrina ejus non salvifica, sed potius stercorei columbarum conferenda sit, quæ nullum salutarem animæ cibum adfert, id è prælecta Pericope luculenter pater, in quâ non ad Papam ejusque decreta, sed ad Christum, tanquam unicam Ecclesiæ suæ petram relegamur.

Nos Instituti nostri memores videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Dominus & Servator noster Christus Jesus, aliquoties in Scripturis Rabbi sive Magister vocatur, vide Joh. 1. vers. 38. 49. cap. 4. v. 31. c. 6. v. 28, c. 20. v. 16. Marc. 9. v. 5. cap. 11. v. 21, & quidem non nudum nomen habet, ut Pharisei, Matth. 23. vers. 7. sed & omen; sicut ipsi ejus inimici, corde licet hypocritico, fa-

tentur, Matth. 22. vers. 16. Quemadmodum igitur fidelis Præceptor & Magister discipulos suos quandoque in examen vocat, quid profecerint: Ita Servator in præsentis Evangelio examen instituit cum discipulis suis, exploraturus, quid hætenus ex concionibus suis profecerint, & quousque in cognitione sui pervenerint, sicut id Matthæus, qui examini huic interfuit, consignavit.

Querela respicit

I. *Opinionum in rebus fidei varietatem.*
Ad quæstionem Christi: Quem me dicunt homines esse, filium hominis? Respondent Apostoli: Alii Johannem Baptistam: alii autem Heliam: alii verò Hieremiam, aut unum ex Prophetis. Non modò tùm temporis erroneæ de Christo opiniones invaluerant: sed & sequioribus temporibus, monstrofi admodum errores proruperunt. Inveni quippè sunt, qui æternam Christi Divinitatem negarunt, & pro mero homine Christum habuerunt, quales Ebion, Cerinthus, Arius fuerunt. Alii humanitatem ejus impugnarunt. Sic Valentinianus, Christum corpus cœleste, non verò carnem & sanguinem ex Mariâ assumisse, prætendit. Marcion & Manes humanitatem ejus planè abnegarunt, delirantes, Christum non verum corpus habuisse, sed spectrum tantùm fuisse, adeoque nec passum nec mortuum esse, nec resurrexisse. Apelles Marcionis discipulus concessit quidem, Christum habuisse corpus, at non ex Mariâ: sed ex quatuor elementis, in quæ rursus resolutum esset. Arius docuit, Christum corpus

corpus sine anima adsumiffie , & *λβγδ* ipsi loco animæ fuiffie. Apollinaris, Chriftum quidem animam sine intellectu tamen, habuiffie fomniavit, divinitatem verò loco intellectus fuiffie. Quid Nestorius & Eutyches, ut & nostro tempore, Osiander & Stancarus, nec non Neo-Photiniani de hoc articulo docuerint, è variis monumentis notius est, quam ut hîc recenferi mereatur.

Sicut igitur in Articulo de Persona Chrifti varii errores feminati, sic & reliqui variis modis impugnati sunt, nec instituti nostri ratio jam permittit, sigillatim de illis differere. Sic quod Chriftus prædixit: Multi Pseudo-Prophetae surgent, & seducunt multos, Matth. 24. v. 11. & quod Paulus ait: Oportet hæreses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, 1. Cor. 11. v. 19. ad amiffim impletum est. *Sicut serpentes varii in corpore: sic hæretici varii in erroribus*, inquit Chryfostomus. Id vero non puræ Evangelii prædicationi adferendum, ut Papistæ faciunt: sed partim *malitia Satanae*, qui ut Pater mendaciorum, Joh. 8. vers. 44. veritati infensus est, adeoque egreditur, & spiritus mendax est, in ore omnium Prophetarum fuorum, 1. Reg. 22. vers. 22. partim autem *hominum curiositati*, dum rationi in mysteriis divinis nimium tribuunt, aut ad sua desideria coacervant sibi Doctores, prurientes auribus, & à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur, 2. Tim. 4. vers. 3. 4. sive *eorum oscitantia & negligentia*: cum enim dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit Ziza-

nia in medio tritici, Matth. 13. vers. 25. aut *inconstantia* eorum, dum fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ, Ephes. 4. vers. 14. unde fit, ut huc illuc vacillent.

Caveamus verò ne dissidia & schismata in religione nos offendant: sed nihilominus Chriftum è verbo suo agnoscamus, & coram mundo confiteamur, ad exemplum Petri & Collegarum ejus, qui aliorum placita non attendentes, vocem Patris cœlestis Matth. 17. v. 5. sequebantur, eumque pro Filio Dei dilecto reputabant. Sic & nos omnium hæreticorum opinionibus rejectis, verbo Dei unice instamus, quo cum Paulo dicere queamus: Scio, cui credidi, 2. Tim. 1. v. 12.

II. *Primatus Pontificii iniquitatem*. Verba quidem Chrifti, quæ hic loquitur, nisi Spiritus & vita sunt: attamen à Pontificiis sinistraè exponuntur & detorquentur, dum primatui Pontificis falso applicantur, quod faciunt:

I. *Papam petram constituendo*. Chrifti verba ita jacent: Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Hæc verba Chrifti Pontificii ita interpretantur: Quia Chriftus Petrum nomine appellet: Tu es Petrus, Petrus verò petram sive rupem significet, & addat: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, voculam hanc respicere proximè præcedens verbum *Petrus*, & ita Chriftum personam Petri notare, q. d. Super te Petrum ædificabo Ecclesiam meam, quo Petro promissum, ut caput totius Ecclesiæ esset:

PPPP 2

esset:

esset: & quia Papa Successor Petri sit in sede Apostolica, hoc ipso eidem Monarchicam jurisdictionem in rebus fidei à Christo collatam esse.

Hæc verba Pontificii, Religionis suæ proram & puppim faciunt. Unde Valerianus Capucinus in Colloquio Rheinfeldensi sic jactabat: Hic textus est velut cardo, super quo volvitur Regnum Christi, adversus omnes hæreses, detestantes supremam, & Monarchicam Jurisdictionem Regni cælorum. Quapropter tanti interest Reipub. Christianæ, verus sensus illius textus, ut exinde pendeat salus totius orbis. Si enim ex hoc textu constet suprema Jurisdictio Ecclesiæ, qualem Catholicæ admittunt, totus orbis coeirit in unam sententiam de fide, prout in unum conveniunt illi omnes, qui se submitunt jurisdictioni illi. Hactenus Valerianus.

Ex cujus verbis satis enitescit, quanto per Pontificii elaborent, hunc textum pro fundamento Primatus & Monarchiæ Papæ venditare. Ex quo porrò sic inferunt: Si Pontifex, seu Petri Successor, fundamentum & petra, & ita caput visibile & Monarcha Ecclesiæ est: non dubium est, quin omnia sancta & sana sint, quæcunq; in rebus fidei sancit & decernit: doctrina ejus vera & orthodoxa est, vociq; ejus omnes oviculæ aut coltare tenentur, impossibile est, ipsum in rebus fidei errare, & quæ plura more Thraſonico de eo in Papatu jactantur.

Verum hæc interpretatio neque in hodierno Evangelio, neque in aliis Scripturæ locis fundamentum habet.

Ne enim dicamus, de nunquam proba-

ta successione Pontificum, in sede Apostolica, de qua Pontificii plenis buccis jactant: textus ipse sanè dilucide indicat, vovulam petræ, non personam Petri, sed aliud quid respicere, alias ita sermo concipetur: Tu es Petrus, & super te, sive super hunc Petrum ædificabo &c. Sive, tu es Petra, & super hanc petram &c.

Jam verò tam in Græco quam Syriaco textu, adde in Latino & Germanico, ita verba jacent: Tu es Petrus, (in masculino) & super hanc petrâ, (in fœminino) ædificabo &c. quo indicatur, sicut per Petrum Christus Apostolum intellexerit, ita eundem per petram non Apostolum sed aliud quid denotasse. Quid verò? Certè nil aliud, quam aut egregiam confessionem Petri, aut seipsum: quandoquidem Scriptura nullum aliud fundamentum scit, quam Christum, 1. Cor. 3. v. 11. Quæ & Patrum expositio est, sicut ex Augustino, Chrysostomo Theophylacto, Hilario evinci possit, si Instituti ratio permitteret.

Quod si igitur Petrus, petra & fundamentum Ecclesiæ non est, quanto minus Romanus Pontifex, inter quem & Petrum neque in doctrinâ, neq; in vitâ ulla est proportio. Et non immeritò quæres, quale fundamentum & petram Ecclesia habuerit, quando sedi Pontificiæ impii, & juxta propriam Pontificiorum confessionem hæresi infecti Papæ præfuerunt? Sicut in specie in seculum illo factum, de quo Genebrardus Pontificius ille Chronologus & Theologus, ubi ad A. C. 901. venit, aperte scribit: Infelix hoc seculum, quod per annos fere CL. Pontifices eireiter quinquaginta à Johanne VIII. ad Leonem IX. usq; apostatici potius, apostatici q; fuerint, quàm Apostolici.

2. Papa

2. *Papa fofis poteflatem clavium adfcribendo.*

Quando enim Chriftus in præfenti Pericope ait: Dabo tibi claves Regni cælorum &c. Pontificii exclusis reliquis Apoftolis fofis Petro illa applicant. Unde Bellarminus, fubftantiam perfonæ exprefam effe per Pronomen *Tibi* feribit. Unde inferunt, quia alicui claves dare, idem fit, ac poteflatem, quæ in Republ. civitate vel domo exercetur, alicui tradere, ita hinc certum effe, quod dum Chriftus Petro claves Regni cælorum dederit, ipfi fimul regimen & plenariam poteflatem in orbe Chriftiano promiferit, & deinde reipfa contulerit. Quâ quidem Poteflate Pontifex pro libidine fuâ, & prout ratio ftatus postulat, fatis pro imperio abutitur, ita ut pro lubitu folvat, excommunicet, & Reges conftituat & deponat, & gladium stringere non dubitet, fi clavibus nihil efficere potefit. Et ut quod res eft, dicam: non modò in Ecclefiafticis, fed & Politicis monarchicam iurisdictionem fibi arrogat.

Posito verò, non concefso, Petri poteflatem eò fe extendere, ut Pontifex & parafiti ejus prætendunt, quid hoc ad Papam?

Et ubi Chriftus ejusmodi poteflatem, qualem Papa fibi vendicat, Petro tradidit? Equidem poteflatem Evangelium prædicandi, Sacramenta difpenfandi, peccata remittendi & retinendi, quæ claves Regni cælorum funt, Chriftus Petro dedit: at non fofis; fed & reliquis Apoftolis in univerfum, præ quibus Petrus nullam omninò prærogativam habet. Vide Matth. 18. v. 18. c. 28. v. 20. Joh. 20. v. 21. Dominatio verò fuper populum, Imperium Politicum, & ufus gladii tam Petro,

quàm reliquis Apoftolis planè præcifæ funt, 1. Petr. 5. v. 3. Luc. 22. v. 26.

Ex quibus omnibus Sole meridiano clarior elucet, Primatum Pontificis non à Chrifto inftitutum: fed à Diabolo excogitatum tyrannidem effe, à qua nos Deus clementiffimè custodire dignetur.

III. *Tyrannidis Diabolicæ rabioftatem.*

Chriftus hinc Ecclefia: fuæ promittit, quod portæ inferorum non prævalituræ fint adverfufeam, ex quo colligendum, portas inferorum, h. e. Diabolum cum omni fua vi, truculentia & tyrannide pro virili enixurum, ut Ecclefiam ille opprimat. Hoc ftudium Cacodæmonis ab ipfo mundi exordio fuit. Quamprimum inimicitia, iater serpentem ejusque femen, ex una, & inter benedictum mulieris femen ejusque affeclas, ex altera parte, pofitæ funt, Gen. 3. nullam ille occasionem prætermifit, quò Ecclefia: Chrifti noceret, & Regnum fuum amplificaret: hinc habuit fuos Cainos, Chamos, Nimrodos, Ifmaeles, Efavos, Pharaones, Antiochos, per quos, tanquam electa organa tyrannidem & truculentiam fuam adverfuf Ecclefiam Dei exeruit, ut non abs re illa quærat, Pfal. 129. v. 1. 2. 3. Maximè verò tempore N. T. ille negotiofiffimus fuit, ubi hærefin fuper hærefin, perfecutionem fuper perfecutionem in detrimentum Ecclefia: excitavit, varias gentes Barbaras, & inter illas in fpecie Turcam excitavit, qui quàm crudeliffimè fideles tractarunt. Ne nunc dicam de Romano Pontifice, qui & falfa doctrina, & sævis bellis, imò variis tormentis Ecclefiam Chrifti oppugnavit. Nec furoris finis eft, fed quò magis finis feculi appropinquat, eò plus portæ inferorum rabiem

PPPP 3

atque

atque truculentiam suam exerunt. Væ habitatoribus terræ & maris: quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet! Apoc. 12. v. 12.

Ne igitur aureum seculum somnietur, nec insolens videatur nobis, si videamus, quomodo adhuc hodiè Diabolus ejusque satellites adversus Ecclesiam Christi sæviant: sed cogitemus, esse illum antiquum Diabolum, qui semper Ecclesiæ interitum quæsi verit, nec nunc cessare eundem, nec cessaturum quamvis frustra, ut Ecclesiam extirpet usque ad finem seculi, ubi demùm ἀπολόγησις fidelium sequetur, Luc. 21. v. 28.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
I. *Ex Confessionis utilitate.* Postquam Christus Petri confessionem fidei audiverat, ait illi: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus &c.

Cacodæmoni quidem & asseclis ejus, confessio veritatis sudes in oculis est. Verùm Christus Servator ad eò eam approbat, ut omnibus Christi confessoribus beatitudinem promittat. Beatus es Simon, dicit hîc ad Petrum. Et eodem modo te quoque, imò quemvis testem veritatis compellat, Beatus es! Habes Deum gratiosum, cælum tibi patet! Omnis, qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor & ego eum, coràm Patre meo, qui in cælis est, Matth. 10. v. 32. Corde credi-

tur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom. 10. v. 10. Licet super animosa Evangelii confessione odio & persecutione infesteris, ut Davidis querela tua sit: Credidi, propter quod locutus sum, ego verò afflictus sum valdè, Psal. 116. v. 10. recorderis velim beatitudinis promissæ.

Si corpus occidunt,
Et omnia rapiunt,
Dimitte tu lætus,
Est quantus his nullus,
Regni Dei qui certus.

Quod si verò fidelem ejusmodi confessionem edere velis, illa non haurienda tibi è ratione humanâ, carne & sanguine: sed ex illuminatione Spiritus sancti, & revelatione verbi divini, Psal. 25. v. 14. Matth. 11. 26. 1. Cor. 2. v. 4. 5. Sis Simon sive auditor verbi divini, sis filius Jonæ, h. e. columbæ, nimirum cælestis, quæ est Spiritus sanctus, qui specie columbæ super Christum descendit, Matth. 3. v. 16. & in festo Pentecostes super Apostolos effusus est, Act. 2. v. 3. Sis quoque Petrus, ut super lapidem probatum, angularem & pretiosum Christum confessionem tuam fundes, Esa. 28. v. 16. Rom. 9. v. 33. 1. Cor. 3. v. 11. & in loco & tempore confessionis ut petra consistes, usque ad mortem pro veritate certans, Sir. 4. v. 33. Sic de salute nullatenus dubitabis: Christus certissime dabit tibi coronam vitæ, quàm omnibus testibus veritatis promissit, Apoc. 2. v. 10.

II. *Ex Ecclesiæ invincibilitate*, quæ ipsi à Christo in his verbis promissa: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

Diabolus quidem vi, astutiâ & tyrannide sua

fua sæpè multùm efficit, fed tamen nunquam efficiet, ut Ecclefiam Dei debeat. Portæ inferorum oppugnare, non expugnare; valere, fed non prævalere pofunt.

Quamvis Ethnici illi Imperatores in tribus prioribus Seculis plurimum Chriftiani fanguinis effuderint. Licet Pontifex fœverit, & Ecclefiam Chrifti oppugnaverit. Licet Turca irruerit, & multas Chriftianas Regiones devaftarit. Etiamfi vanæ hærefes & fchifmata Ecclefiam turbarint, adeoque varii fluctus tribulationum, Ecclefiam tantùm non operuerint; nondum tamen illa deleta, & oppreffa, fed immobiliter confervata eft, ut portæ inferorum non prævaluerint adverfus eam. In mediis perfecutionum fluctibus Chriftiani confervati funt, & quò plus Chriftiani fanguinis effufus, eò plus aucti illi & in veritate confirmati funt. Quò magis aquæ diluvii multiplicatæ funt, eò magis elevaverunt arcam in fublime à terrâ, Gen. 7. v. 17. Ita quò plus tribulationes Ecclefie multiplicatæ funt, eò plus amplificata & propagata eft, nec ulla externâ vi opprimi potuit.

Eft quidem illa in comparatione Judæorum, Tartarorum & paganorum aliarumque barbararum gentium pufillum gregem: attamen illi hunc pufillum gregem delere non potuerunt. Judæorum religio adeò labefactata eft, ut in toto orbe, nullum templum, nullum Pontificem, nullum propitiatorium, nulla facrificia amplius habeant: At Chriftianorum religio nullo igne, gladio, cæde & cruciatu nullo labefactari potuit. Noftro Evangelium, fides nofta, Chriftus nofter,

baptifmus & cœna nofta perennabunt usque ad diem noviffimum, mors Domini annuntiabitur, donec veniet, 1. Cor. 11. 26. Ringant omnes Diaboli, portæ inferorum, rumpantur ilia Judæis, Turcis, Tartaris, imo toti mundo, tamen non prævalebunt adverfus Ecclefiam Dei. Primò enim non ab impiis architectis turris Babylonice, fed à Chrifto ipfo extructa eft.

Deindè quoque firmo fundamento innititur Chrifto ipfo, immobili petrâ. Gott famlet und bauet ihm eine Kirch und Gemein / fcribit B. Lutherus, mitten unter feinen Feinden / als ein Schloß auff einen ftrecken Felſen gegründet / welches nicht heiffet / Troß Käyser / ſondern Troß Teuffel und Tod ! In hæc petrâ confidamus, Diabolo & mundo insultantes, & cum Bernhardo dicentes: Fremat mundus, Diabolus infidetur, non cado: fundatus enim ſum ſuper petrâ firma.

III. Exclavium poteftate, de quâ Servator: Tibi dabo claves Regni cœlorum; & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Sicut Petrus hanc confessionem, non ſuo duntaxat nomine, fed nomine omnium Apoſtolorum & totius Ecclefie edidit: ita etiam hæc poteſtas non ad ſolum Petrum, fed & omnes Apoſtolos, imò ad totam Ecclefiam pertinet, ut apparet ex Joh. 20. v. 22. 23. Ecclefia enim Chrifti ſponſa eft, illi claves appendit, & liberam in domo ſua claudendi & recludendi poteſtatem tribuit, committit illi pretioſiſſi-

iffimum Regni fui thefaurum, qui est remiffio peccatorum: & portam cœleſtem portis inferorum opponit, atque in poteſtate Eccleſiæ conſtituit, theſauros gratiæ, remiffionem peccatorum piis & pœnitentibus distribuendi, ſed malis & impœnitentibus retinendi, portam cœli occludendi, & ad portam inferorum relegandi.

Quemadmodum igitur omnibus ſecuris & impœnitentibus horrificum eſt, quod peccata ipsis retenta ſint, à cujus vinculis in æternum non exſolventur: Ita ex adverſo piis & pœnitentibus ſolacium adfert, quod quamvis portæ inferorum ipſos oppugnent, & Diabolus eos in peccata ſeduxerit, quâ de cauſa porta cœli illis jure occluſa fuit, illi tamen in jure hoc Eccleſiæ & poteſtate claviſum partem habeant. Videant modò, ut peccata agnoscant, gratiam Dei implorent, & vitæ emendationem promittant: ſic porta cœli illis recludetur, & quod hîc in terris ſolutum eſt, & in cœlo ſolutum erit.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus abſolvitur Regulis, ut ſunt

I. *Examina ne contemne.* Pientiffimus Servator noſter Jeſus, non modò diſcipulos ſuos, in doctrina cœleſti ſedulò informavit, ſed hîc etiam examen inſtituit, quærens quid hætenus profecerint. Quâ in re laudabili exemplo omnibus illis præit, qui Eccleſiæ & Scholæ præpoſiti ſunt, & in illis docent, ut auditores & diſcipulos ſuos, non modò probè informant, ſed & in examen adducant, quos progreſſus in

Catechiſmo & Chriſtiana doctrinâ fecerint, quomodo illam calleant, & quomodo reſpondere poſſint: quo reſpectu quoque publica examina in ſcholis inſtituta ſunt, quæ & in Eccleſia, & confeſſione, & in privatis ædibus utiliter inſtituerentur, quò juniores & ſeniores hæc occaſione incitarentur, in doctrinâ Chriſti, ejuſque agnitione proficiendi.

Verùm hîc utrinque peccatur, cùm ex parte illorum, quibus examen incumbit, qui ſocordes & negligentes ſe exhibent, alia negotia utiliora prætendentes, quaſi pluribus occupationibus diſtricti eſſent, quàm in deſſus ille Propheta, & Doctor erudita linguæ Chriſtus Jeſus: tùm ex parte examinandorum, qui examina, ut rem levem & non neceſſariam ſubterfugiunt, & rationem fidei reddere erubefcunt.

Verùm ſi Apoſtolos non puduit examini ſe ſubjicere: quid tu miſer homuncio erubefceres? Magis negligentia & inſcitia tua ruborem tibi incutiat: quod ſi enim rationem reddere poſſes, nullatenus examen declinares.

II. *Interroganti promptè reſponde.* Chriſto hîc ex diſcipulis quærenti, reſpondent illi, quid & aliorum & ſuum ipſius de Chriſto ſit judicium: Ita & tu paratus ſemper ſis, ad ſatiſfactionem omni poſcenti te rationem de eâ, quæ in te eſt, ſpe & fide, 1. Petr. 3. v. 15. Et quò accuratè reſpondere poſſis, vide, ut bonum fundamentum ponas in agnitione Dei & Filii ejus Jeſu Chriſti. Petrus & reliqui Apoſtoli malè ad quæſtionem propoſitam reſpondiſſent, niſi è concionibus Chriſti, ex illuminatione Spiritus ſancti id didiciſſent,
nec

nec dubium est, quin æque absonas opiniones de Christo protulissent, ac alii homines, doctrinæ Christi rudes. Sic & tu nunquam dextrè respondebis, nisi antè sufficienter in articulis fidei instructus fueris.

Ne proinde pigeat te, conciones sacras sedulò invisere, devotè auscultare, & domi quoque sacram Scripturam evolvere, & in illa scrutari. Veniet aliquando, crede mihi, tempus, ubi in examen vocaberis, quod fiet aut in mortis agone, vel certè in extremo judicio. Disce igitur in tempore nètum turpiter stes fortè.

III. *Bona fama stude.* Christus interrogat discipulos suos: Quem me dicunt, homines esse, Filium hominis? Quo ipso nos instruit, ne rumore vulgi & publicam famam planè contemnamus, sed perscrutemur, quæ de nobis sit hominum opinio. Bona enim conscientia nobis est opus, propter nos ipsos, bona fama propter proximum, ut Veteres dixerunt. Qui hominum famam susque deque habent, eos gentiles quoque pro homine futili nul-

liusque pretii habuere. Melius est nomen bonum, quàm unguenta preciosa, Eccles. 7. v. 3. Hinc Siracides c. 42. v. 15. 16.

Si verò famæ integritate gaudere vis, vide ut genuinus Christianus, & filius Dei vivi sis: Vive proindè ut Christianum decet, insiste vestigiis Christi, quæ in vita & passione, in doctrina & opere tibi reliquit, exhibe te talem, qualem pium & obsequentem filium Dei decet: hoc modò non tantùm in hoc mundo coràm hominibus bonam famam consequeris: sed & nomen tuum pòst mortem perennabit. Die enim novissimo judex vivorum & mortuorum, in confesù SS. Trinitatis, coràm Angelis, Archangelis, omnibusque electis, imò Diabolis quoque & damnatis, sed in horum confusionem & ignominiam, nomen tuum amplissimis laudibus ornabit, teque in gaudium Domini tui introducet, ubi nominis tui memoria nunquam obliterabitur, siquidem in libro vitæ scriptum permanebit in æternum.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

IN DIE FESTO VISITATIONIS MARIE.

Evangelium Luc. 1. v. 39. -- 56.

EXORDIUM.

Spiritualis illa Ecclesiæ Sponsa, de Sponso suo ait: Ecce, Dilectus meus venit saliens in montibus, transsiliens colles, Cant. 2. v. 8.

In quibus verbis Ecclesia Christum compellat, est enim amicus sive Dilectus

ejus, aut *naturaliter*, quia humanam naturam, carnem & sanguinem ille adsumsit, quo respectu nos omnes Christi consanguinei, ipse autem cognatus noster factus est, unde etiam Goel noster aliquoties in Scriptura appellatur, Genes. 48. vers. 16.

9999

Esa.